

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Antichristus b  
cum fonte primo

Gentes iste quas appellat Goc et Magoc,  
non sic sunt accipiende, tanquam sint  
aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti,  
siue quos quidam suspicant Getas et Magetas  
propter litteras horum nominum primas.

Toto namque orbe terrarum significati sunt  
isti esse cum dictum est:  
nationes que sunt in quattuor angulis terre;  
easque dixit esse Goc et Magoc  
quorum interpretationem nominum  
cognouimus esse: Goc tectum, Magoc de tecto,  
tanquam domus et ipse qui procedit de domo.  
Gentes ergo sunt in quibus dyabolum

intelligimus inclusum  
et ipse de illis quodammodo sese offerens

ut ille sint tectum, ipse de tecto.  
Si autem utrumque referamus ad gentes,

et tectum ipse sunt,  
quia in eis nunc dyabolus includitur

et de tecto ipse erunt  
quando in apertum odium de operto erupture sunt.

Augustinus XX. de ciuitate Dei capitulo XI.

Gentes quippe istae, quas appellat Gog et Magog,  
non sic sunt accipiendae, tanquam sint  
aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti,  
siue quos quidam suspicantur Getas et Massagetas  
propter litteras horum nominum primas,  
siue aliquos alios alienigenas et a Romano iure  
seiunctos.

Toto namque orbe terrarum significati sunt  
isti esse, cum dictum est

nationes quae sunt in quattuor angulis terrae,  
easque subiecit esse Gog et Magog (Apoc. 20:8).

Quorum interpretationem nominum  
esse comperimus Gog tectum, Magog de tecto;  
tanquam domus et ipse qui procedit de domo.

Gentes ergo sunt, in quibus dyabolum

uelut in abyssio superius

intellegebamus inclusum,

et ipse de illis quodam modo sese efferens

et procedens;

ut illae sint tectum, ipse de tecto.

Si autem utrumque referamus ad gentes,

non unum horum ad illas, alterum ad

dyabolum: et tectum ipsae sunt,

quia in eis nunc includitur

et quodam modo tegitur inimicus antiquus;

et de tecto ipsae erunt,

quando in apertum odium de operto erupturae sunt.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.11  
(CCSL 48, B. Dombart ed., pp.720-1, ll.11-28).